

III.
NEOVIDENSIS

Nro 72. (*Neovidensis* Nro 95.)

Secretum litterarum commercium vivos inter, ac mortuos.

*Senex Ludimagister salutem plurimam dicit
Studiorum Directori jam dudum in campis
Elysiis degenti.*

Ex mundo superiore.

Elysium -- Meum. -- Die Martis 7. Dec. 1804. (Neov. 23. Nov.)

Speſtabilis Domine Studiorum Director!

Omne studium reformandi scholas a me utpote misero Pædagogo longissime deberet abesse. Cum tamen Speſtabilis Dominus jam dudum ad Patres conscriptos abiverit, volo meam opinionem depromere, ut miseris Ludimagistris aliqua ratione auxilio sit, idque eo audacius me facere posse arbitror, quo diutius jam pueros informo, & in præsens adhuc eodem officio defungor; Nemo enim putet me a munere meo amotum esse, & forte licet etiam tardioris ingenii Ludimagistro aliqua proferre, quæ eruditis, & spectatis Dominis placeant, sed in mentem non venerunt. Neque existiment me illis fore indignum, ego etiam eodem jure, quo alii,

possem me scholæ magistrum compellare, & reapse gaudeo hoc nomine, sed probe novi paucos dari inter nos Magistros, & ut audio, ipsos etiam latinarum scholarum Professores non esse omnes Magisterii honore dignos.

Itaque meas cogitationes conjicio in chartam, substernens judicio Domini Spectabilis, ut si eas approbaverit, submittat in Elysium Mundi Superioris, hic certe imprimetur, & orbi universo innotescent.

Ex quo negotia scholastica animo verso, observo apud patruelem meum, studiosum litterarum, nonnulla scripta, & habelios, quorum margines non sunt scissi, inde colligo esse fragmenta Ephemeridum; In his multa legi, quomodo instituendæ sint a Ludimagistris proles, ut sapientes evadant, quæ res me summa lætitia perfudit, sed longe majorem cepi voluptatem ex eo, quod tandem aliquando serio cogitetur, qua ratione possit miseris Ludimagistris succurri. Iterum, iterumque affirmo, lacrimæ mihi gaudii manarunt, sed utinam contentione magna agerent, ut miseris nobis, & afflictis aliquid allevamentum adferatur. Dolori mihi est maximo, dum legere cogor, omnia nobis miseris homuncionibus attribui, si aliqui nullius frugi sint, stupidi, ab omni humanitate alieni, & malitiosi, exclamatur, iste est fructus scholarum. Verum isti deberent magis perpendere, quæ sit conditio infelicis Ludimagistri. Ille utique ipse parum potuit

condi
entia
non
sume
dos
res,
ubi
facer
ter s
duric
Pare
nequ
rentu
anno
tam
diebu
Certe
erit c

quæ
prud
dian
insti
gis a
poss
gere
pon
quan
iisde
prov
calc
tem
quan

condiscere, sed etiamsi magna polleret scientia, brevi eum vitæ tædium caperet; Res non est levis, viginti, vel triginta annos consumere in vaporis pleno cubili, inter smucidos pueros, quorum multi, etiam adultiores, ne munditiem quidem servare noverunt, ubi non scit, quomodo possit omnibus satisfacere, ita partim ætate, partim scientia inter se differunt; multos nec audet verboduriore objurgare, ne amittat munuscula a Parentibus offerenda, quibus tamen carere nequit, vel si domi suæ velit esse liber a Parentum inurbanitate. Tentet quis per aliquot annos, quotidie eandem cramben repetendo, tam minimas, quam maximas proles singulis diebus quatuor, & quinque horis docere. Certe illi vita, sed magis officium gravissimo erit oneri.

Modo pro Magistris meri periti homines quærentur, qui intra breve tempus proles ad prudentiam, sapientiam, & bonitatem erudiant, illas præterea ita ament, ita libenter instituant, atque proprios liberos, imo magis adhuc, sunt enim nonnulli, qui hæc ipsi possent facere, sed nolunt sibi molestias augere. Nihil habeo, quod huic intentioni exponam, hoc unum assero, tales viri se nunquam addicent scholarum institutioni, nisi iisdem longe aliter, quam hæctenus, fuerit provisum. Eruditi enim viri probe sciunt calculos subducere, hodie fere ubique sortem diurnorum operariorum meliorem esse, quam Pædagogorum. Illis enim, peracto la-



bore, nec rusticus, nec Pastor loci quidquam amplius præcipit, non debent sono campanarum sive initium diei, sive vespeream indicare. Dies domini transigenda eorum arbitrio relinquitur, non est necesse, ut seu ipsi, seu eorum filii ita decenter vestiantur, atque Ludimagistri, convenit enim ut hi semper a communi plebe distingvantur, qui tamen nec unum par ocrearum ab ullo possunt emendicare, uti faciunt mercenarii. Ludimagistris præscriptum est deferre nigrum pallium, & plura similia, quibus mercenarius carere potest. Hæc quidem multis conspicuis, & divitibus hominibus videbuntur parvitates, at mihi optime constat, quam magni momenti, & solitudinum plenissimæ sint nobis res.

Non possum diffiteri plerosque scholarum magistros arrogantes esse, & spiritu quodam honoris duci, quod ipsis vitio datur, verum, si his qualitatibus fuerint destituti, nemo volet fieri magister, vel, quod proprie exprimere intendebam, nemo erit, qui scholas doceat. Tunc enim quilibet opulentioris Agricolæ filius perspiciet, sibi in conditione agresti habendo agrum, vel hortum, vel pratium longe melius futurum, quam in antiquo scholarum tugurio. Qui itaque modo adhuc scholasticum quærunt officium, vesani sint, oportet; amentia enim signum est, posse suam sortem meliorem reddere, & tamen in miseras præcipitem ruere, nisi forte quis ita stolidus esset, ut nullibi amplius in mun-

do a
turan
milit
fere i
tam
cepta

cons
rum
mult
claro
tribu
in m
gniss
vim
Hæc
si ce
Sed
Sem
ri,
si a
quin
to,
se æ
bons
ut u
amsi
Pro
esse
vos,
nam
sept

do accomodari posset, si etenim tantum triturare, aut ligna secare sciret, profecto huic militiæ nunquam daret nomen, quam (*hoc fere impium est dicere, verum tamen*) etiam oblatam nullus licitorum, nullus operariorum acceptaret.

Quapropter nequit satis laudari illorum consilium, qui de emendanda Ludimagistorum conditione ita solliciti sunt, ego senecio multum gaudeo, considerans nonnullos præclaros viros, qui in eo totis diebus, ac noctibus desudant, unde faciendum sit initium; in memoriam mihi etiam incidunt illi benignissimi Principes, qui non contemnendam vim pecuniæ pro tali instituto contulerunt. Hæc res mihi summæ jucunditati est, tametsi certus sim, me inde nihil participaturum. Sed lætari tantum mihi etiam non est datum. Semper dicitur, hac in re parum posse fieri, & hoc parum etiam ægre datur. Quod si alicui misero Ludimagistro quadraginta, quinquaginta, vel summum, summum repetito, centum Imperiales tribuantur, totum esse ærarium exhaustum, conclamatur. Sed, bone Deus! quid hoc est, ut homo vivat, ut uxori, & prolibus victum præbeat? etiamsi reapse centum Imperiales obtineret; Pro nonnullis autem locis dicunt superfluum esse 40. Imperialium stipendium. Obsecro vos, accipite calamum, & computate, quotnam grossi obveniant in singulos dies? Ne septem quidem: At vulgaris opifex diurna

opera meretur octo, & novem grossos, cuius præterea uxor, & liberi multa sibi possunt comparare, quod apud Pædagogum fieri nequit, & nunc subducite summam, quanta opus habeat vir una cum sua familia.

Nescio, an non sit stulta mea cogitatio, sed nonnunquam ita clare eam percipio, ita distincte animo meo obversatur, ut illam excutere nequeam, nimirum dari tot diversos magistros, qui magna trahunt salaria, præterea apud omnes florent autoritate, tanti tamen momenti non tractant negotia, atque Ludimagister. Hoc eodem tempore cum voce Ludimagistri insonat meis auribus vocabulum stabuli magistri, (*subinde aliorum quoque magistrorum, quales sunt: Rei venaticæ magister, Aulæ magister &c.*) Et sic mente agito & equos, & homines, innumerabilique mirabilium cogitationum multitudine obruor.

Nuperrime meus cognatus scholas frequentans attulit latino idiomate editum opusculum, quod diligenter læsitabat. Erat autem inscriptum: *De officio artis obstetriciæ concedendo solis viris.* Hoc publici juris fecit I. T. Veidmann, Vir propter medicinæ cognitionem per orbem eruditum summe celebratus. Ego quidem linguam latinam primis duntaxat labris degustavi, at meus propinquus mihi declaravit, Authorem evidenter demonstravisse, ne ruri ad mulieres parturientes foeminæ obstetrices vocentur, sed

viri
hi fe
set
ars
parte
exim
tus a
jorib
istæ
prov
quæ
esset
ster
ret.
minu

rere
tion
tæ m
rem
re ju
rem
sulat
riter
ter e
dici,
nem
desic
gni.
meri
tum

viri arte obstetricia probe imbuti. Illico mihi felix illa cogitatio oborta est, an non posset cum munere Ludimagistrorum conjungi ars obstetricandi? Et post multam in omnes partes deliberationem agnovi tandem rem eximiam futuram, Ludimagistrum simul partus adiutorem in pago constituere. De majoribus Civitatibus nulla metangit cura, nam istæ jam a longo tempore obstetricatoribus provisæ sunt; At ruri, ubi tot infortunia, quæ fœmina avertere non novit, accidunt, esset veri nominis beneficium, si ludimagister suos discipulos ex utero matris accerseret. Quid hac de re judicat Spectabilis Dominus scholarum Director?

Hac de materia possem copiose disserere, si scirem meas nullius consilii cogitationes placituras, colligerem eas, & chartæ mandarem. Universe possent eruditi hanc rem penitus excutere, & quod optimum fore judicarent, Gubernio proponere. Majorem in modum rogo, æqui, bonique consulat, sermonem meum esse jejunis, & driter translatis verbis compositum, eloquenter enim, ornate, & numerose loqui non didici, persvasissimum tamen habeo, inventionem meam esse bonam, responsuramque & desiderio Doctoris Veidmanii, & felicitati regni. Sed etiam opinionem meam puto numeris omnibus absolutam, ea enim non tantum argumentis, sed etiam experientia con-

firmatur. Si homines mea verba risu excipiant, non moror, si vero rem, hoc mihi jam displiceret, quid si autem ipsam opinionem sugillarent? Hoc omnino me vehementissime contristaret, illa etenim ex intimo animi sensu profecta est: Utinam ego senex, & debilis homo possem omnibus scholarum præpositis, & puerperis jucundissimos procurare dies, toto pectore facerem, ita me Deus adjuvet! Sed forte existimat, non posse in hac arte erudiri Ludimagistros? Absit, illi certe omnia & fideliter, & religiose curabunt, præsertim, si sciverint, suum salarium per id auctum iri. Quam diligenter student, ut artem juvandi puerperas combibant!

Quapropter rogo Spectabilem Dominum Directorem, dignetur suam hac de re opinionem ex Campis elysiis mecum communicare, quam dum avidissime expecto; debito cum venerationis cultu persevero.

*Humillimus SERVUS
veteranus Ludimagister.*

N

Ixiom

Elysiu

Libera

V
er
tas
c
tem
ad
tr
te,
q
com
nemo
te
ta
mini